
De Legum Laudibus

ORATIO

ALEXANDRI PVCCINII

Habita in Almo Pisanæ Vrbis Gymnasio III. Nonas Nouembris 1613.

Cum Docendi munus auspicaretur.





FLORENTIÆ 1613.

APVD COSMVM IVNCTAM.


Superiorum permissu.



ILLVSTRISS. DOMINO

D. ALEXANDRO RINVCCINIO

S.MI MAGNI DVCIS HETRVRIÆ Generali Thesaurario.



ALEX. PVCCINIVS S. D.




N tibi offero, Vir Amplissime, has Legum laudes, ceu nexos in fasciculo flores, quos ab Augusta Pisanæ Vrbis Academia, velut ab hortis Astrææ feracissimis, nuper sub ingressum collegi. Nàm, quò tua vel Auspice beneuolentia, vel Duce gratia pedem inferre facilè potui, inde primum collectos à me flores offerre tibi, cùm debui, tum volui. Sed in his lubeat, obsecro, non magis legum præ-

ſtantiam, quàm gratum, ſtudioſumq; offerentis animum odorari. Cæterùm, cum leue munus inſpexeris, ne deſpexeris: Affluunt ijſdem in hortis deliciæ longè meliores; quiddamq; melius inde, ni fallor, noſtra iamiam leget induſtria. Et hoc qualecumq; demùm erit (Alexander nobiliß.) tuum quidem erit. Ita diù tuæ benignitatis mihi Zephyrus aſpiret, vt mox aliquando tibi, Cœlo annuente, præterquàm flores, vel quaſi mulſum offeram, vel poma, vel nectar.

Vale, Piſis, Nonis Nouembris M.D.C.XIII.

DE LAVDIBVS LEGVM ORATIO.





ÆREBAM nuper (Ampliſſimi Patres, Florentiſſimi Iuuenes, cęteriq; Auditores Ornatiſsimi) hærebam cogitatione defixus, animoq́; ancipiti diſtrahebar, cùm multa vos hodierna luce à me expectare, ac iure optimo exigere, cùm pauca rurſus (neque hæc ſatis integrè) præſtare me vobis poſſe animaduerterem. Occurrebat enim primò veſter (Clariſsimi Proceres) ampliſſimus Ordo, ac Senatus, cuius me felici donatum conſortio intelligebam; & ſuo iure poſtulare videbatur, vt aliquid è Rhetorum officina depromptũ, veſtris eruditis auribus non indignum, & ex vberrima laudum veſtrarum meſſe collectum, à veſtra iam diu omnibus perſpecta modeſtia non alienum, in obſeruantiæ noſtræ, ſtudijq́; pignus afferrem. Imò, vt apertè profitear, quod in animo latere non poteſt, hoc potiſſimùm tempore ve-

ſtrá ſiue beneuolentia, ſiue comitas eò mihi magis implorandа videbatur, quò manifeſtius hæc docendi, quam ſubeo, prouincia noſtris malè diù ſuſtinenda viribus apparebat, vel turpiter abijcienda, niſi ſub grauiſſimo hoc onere laboranti, veſtra vel ſuffragaretur ſapientia, vel patrocinaretur authoritas. Præterea illud non obſcurè perſpiciebam, quàm par eſſet, quantùmq; mea referret, cuius erunt partes (Nobiliſsimi Iuuenes) veſtris commodis, veſtræ vtilitati, ſtudijs veſtris omninò vacare, hanc totam vobis primùm orationem quaſi perſoluere, quorum ſimul & beneuolentiam aucupari, & generoſum in legalis Philoſophię exercitationibus mentium ardorem, non ſopitum, aut languentem excitare, ſed ardentem potius, flagrantemq;, magis ac magis poſſem inflammare dicendo. Iure quoq; ſibi almum hoc Piſanæ Vrbis Gymnaſium tacito quodam ſermone efflagitabat, vt ab eius præconijs nobilem hanc docendi prouinciam auſpicarer, eòq; mentis oculos aciemq; conuerterem, vbi quot Cœlo ſydera, quot humi flores, tot propemodum ampliſſimarum virtutum imagines per hæc auguſtiſſima tecta commicantes, noſtris ſeſe oculis obijciunt. Atqui hæc erant, longèq; alia, quæ me, vt ſincerè loquar, Auditores, mœrore quodam graui, ne dicam terrore affectum, ab incœpto iam opere, ſi non auocabant, ſeuocabant quidem certè, ac retardabant. Verùm vbi primùm Sacratiſſimarum legum ſubijt amplitudo,

earumq;

carumq; , veluti Reginę cuiusdam pulcherrimæ, regio planè, ac magnificentissimo cultu nitentis, iniecta est animo dignitas, ac forma, facilè statim percepi cunctas animi curas in nihilum recidisse. Videbatur enim diuini illius Numinis maiestas suis mihi splendoribus mentem fœcundare; mandareq; palàm, vt de se, deq; suis amplissimis laudibus hoc loco differerem: eósq; mihi fontes indicabat, vnde & eloquentiæ riui fluerent quàm vberrimi, ac nulli vnquam, vel infantissimo homini, de eius vi, ac potestate, de eius præstantia, ac vtilitate dicenti deesset Oratio. Quod quidem eò magis nostro arrisit animo, quò minus molestum, aut ingratum fore existimaui, vt, omissis cęteris, Augustissimas leges duntaxat pro tenuis ingenij opibus celebrandas susciperem, quibus nempè vos ipsi, Viri Clarissimi, assidua ac diligenti opera deseruitis; totum verò quòd extructum, aut exornatum sub hęc tecta circumquaq; conspicimus, earum cultui, ac gloriæ famulatur. Erunt igitur Sacratissimę Leges hodiernę orationis nostrę argumẽtum, & vtilitate, vt opinor, & suauitate plenissimum. Atq; hîc mihi lętandum esse iure video, quòd neq; nostra infantia ad dicendum, neq; ad excogitandum ingenij tarditas oberit, quando argumenti dignitas, & amplitudo ijs laudibus affluit, vt Oratorem in deligendo ancipitem potius, quàm in comminiscendo sollicitum reddat. Ac præterea suis ita radijs, suis ita præmicat ornamentis, vt contemnat prorsus, vel eloquentię

fuco

fuco coloratam orationem, vel plusquàm sit opus dicendi floribus exornatam. Ego verò in hoc angustissimo vnius horæ spatio ad orandum præscripto, duo tantùm inspicienda (quis enim dignè plura contemplari queat?) vestros ob oculos ponam, quantùm scilicet origine pręcellant leges, deinde quàm sint mortalibus fructuosæ. Quarum mihi primùm perillustrem originem vobis explicaturo eos imitari placet, qui christalli, seu speculi frustulum Soli obiectum, eiusq; radijs illustratum huc illuc inflectentes eiusdem Solis lucem, quoquò libuerit, facilè diducunt. Ita equidem, cum ad diuinum legum splendorem animum, cogitationemq; conuertam, haud dubito, quin fiet, vt aliquò earum tandem impertiar lumine, quod possim ad Auditores meos hac voce, linguaq; transmittere. Et sanè, si primęuam legum originem attendamus, eas Auroræ instar exorientis diuina quadam luce conuestitas aspiciemus, & ab excelso Cœlorum vertice prodeuntes. Sunt enim ortę Cœlo leges, ab ipso omnium Creatore Deo productæ, inditęq; rerum Naturæ, atq; vnà singulis mentibus, tum illis purissimis Deo proximis, tum nostris hisce corpori addictis, atq; hac luce fruentibus (aut si rem latius complectamur) singulis demum ex materię, formaq; compactis; vt rectè affirmare liceat; quidquid in hac rerum Vniuersitate conseruatur, ac propagitur, id totum legum beneficio referri acceptum debere. Atque ita se rem habere nemo

non

non dixerit, qui rectè ratiocinari velit. Agitè verò, Auditores Ornatiſſimi, totam hanc mecum rerum Vniuerſitatem animo comprehendite, ſingulas eius partes inſpicite, & quidquid in amplißimo eius ſinu vel ab oculis remotum latet, vel manifeſtum patet, perluſtrate; id omne à certa, & fixa quadam lege pendêre, id omne diuinam legum originem, ac præſtantiam præ ſe ferre intelligetis. Cùm enim præpotens ille Naturæ moderator ac Princeps, cuius nutu, quidquid vbiq; eſt, regitur ac temperatur, Beatas illas, ac puriſſimas mentes antè alia omnia procreaſſet, quæ immortali æuo fruerentur, iam tùm ipſe Deus edidit, ac promulgauit leges, procreatisq; mentibus, quidquid ijs eſſet muneris obeundum, infinita prouidentia declarauit. Quid enim earundem in plures legiones, atq; ordines diſtributio, cùm alias iuſſit puriſſimo ardore ſuccenſas ante Auguſtiſſimæ diuinitatis ſolium hymnos, laudesq; perpetuas accinere, alias pulcherrima ſerie agglomeratas, diuinam ante ſedem diſcurrentes immortali Conditori plauſum edere, alias præterea ad ſalutaria mandata celerrimè deportanda, ad Cęleſtes orbes conuoluendos alias, alias ad tutandas hominum animas deſtinauit; quid, inquam, hæc Beatarum mentium ſeries, ac diſtributio, niſi legum Natalia clarißimè innuunt, quas primùm Deus ipſe produxit, Cœlo peruulgauit, fœliciſſimis illis Mentibus præſtituit? O' nobiliſſimas, ac Beatiſſimas Leges, quæ ab ipſis mundi incunabulis ſuam

originem repetunt, & tàm claro nituntur initio, vt quamdiù Dei ſedes adminiſtros, quamdiu incolas, Ciuesq; beatiſſima illa, non Regum, ſed Diuorum patria, ipſaq; Æternitas, tamdiù vim, ac poteſtatem, tamdiù lucem, ſplendoremq; leges ſint habituræ. Verùm, ſi præpotentis ac Diuinæ illius dexteræ reliqua opera conſideremus, certis quæq; fulta legibus, ac temperata inſtitutis, nec non in ipſis eorum primordjs nobiliora legum exordia diſpiciemus. Iuuat'nè Cœleſtes orbes intueri? Eos planè cernemus certa, ſtabiliq; lege temperatos; ſiue motu perpetuo, eoq; celerrimo circumducantur, ſiue concentu ſuauiſsimo inter planetas, ac ſydera obſtrepant, ſiue inferioribus corporibus ſalutarem auram, ac vitam inſtillent: Neque interim, aut gelu, aut æſtu torquentur, neque pabulo indigent ad ſui conſeruationem, neque vlla fugientis æui, mortiſuè iniuria afficiuntur, ſed à perenni motu vires capiunt, à iugi opere, & circumlatione virtutem. Aduertite hîc legum præſtantiam & originem, Auditores. Quis enim tot, ac tanta Cœleſtibus Orbibus, ac tàm facilè pręſtanda præſcripſit, niſi idem ipſe eorum Artifex & Molitor? cuius rei vi ac poteſtate? earum nempè legum, quas vnà cum forma, atq; origine indidit. Solem ipſum cuncta illuſtrantem cuncta gignentem, ſi placet, aliquantiſper contemplemur. Nonnè è nitidiſſimo illius vultu, non magis vndiq; diffuſum lumen, quàm legum fulgentiſſimam

mam originem fatebimur elucère? Sol nimirum ſupremum ſui Parentem, diuinumq; Solem iugi quodam obſequio, ac famulatu veneratur & colit, à quo totum, quod habet luminis, mutuatur. Sol eiuſdem legibus iam tum ſibi à mundi infantia præſcriptis ita deſeruit, vt ne latum quidem vnguém à Conditoris vnquam voluntate diſceſſerit. Quare, nec incitatior curſum accelerat, nec moroſior diem producit, nec aliter æſtum, algoremq; diſpenſat, quàm naturę, ac temporis ordo deſideret. En igitur cum Sole exortę leges, en rurſus Soli leges imperantes. Sed aliò iam feratur oratio. Neque enim ad hanc legum lucem, minus mentis aciem, quàm ad Solis radios oculorum vim perſtringi, atque hebetari ſentio. Ita enim cum Sole leges oriuntur, vt æquè ac Sol ipſe diffulgeant; imò Soli fulgorem, vitamq; communicent. Vultis modò, Auditores, cætera, quæ infrà Lunam ſunt, celeri oculorum coniectu percurrere? Cernite hanc terrarum molem ſuis libratam ponderibus, medio in àëre ſuſtentatam: cernite aquam terrarum ſuperficiei ſic innatantem, vt eas, neq; ſuo rapiat fluxu, neque alluuionibus ſubmergat, ſed earundem potius ſiccitatem temperet irriguo, perenniq; lapſu, easq; reddat tot diuitijs locupletes, tot fructibus, ac delicijs affluentes. Aduertite ignis è Cœlo profecta ſemina in marmorum, ſaxorumq; venis abſtruſa, quæ deinde aptis excepta pabuli fomentis, vix ignes, fauillasq; producunt, cùm excîtos flammarum vapo-

res ad Cœlum vſque remittunt; quò longè illi celerius rapiuntur, quàm immane ſaxum è montis prçcelſi vertice diuulſum per àërem prçcipitans, ad vallem profundiſſimam deuoluatur. Aſpicite, plantas, arbores, cçteraq; è terra pullulantia eidem veluti parenti ſtatis vſque temporibus, quaſi debita ex fœdere munera, tum flores, tum poma offerre; ac proinde illius quodámodo potiri ſinu, cuius vel calore foueantur, vel humore pro tēporis vicibus irrigentur. Aſpicite hortos, ac prata, agros ac nemora modò viridátia, modò àreſcentia, modò conueſtita, modò viduata frõdibus, modò horrentia frigore, modò floribus, pomis, diuitijs referta, cumulata, exornata. Proh Deus immortalis; quænam hæc rerum deſcriptio? quç pulchritudo? quæ forma? quàm egregià! quàm admirabilis! quàm diuina! nec ſanè iniuria. Suam ſingula à legibus pulchritudinem, formam, deſcriptionem trahunt, ac præſtantiſſimam legum originem digito quaſi commoſtrant; nec non eas in cauſa eſſe ſatis ſuperq, declarant, cur hos prægrandes effectus admiremur. Leges, leges ab immortali Deo cunctis hiſce rebus, iam tùm ab earum productione infuſæ, atque infixæ fuerunt, quarum ope conſeruarentur, ac regerentur. Nihil porrò in hac rerum Natura comperies, quod ſuis non conſiſtat legibus, & quaſi fulciatur. Nec prius itidem ſingularum rerum, quàm legum originem inueſtigabis. Statuendum eſt igitur nobis; & naturæ, & legum, eadem & primordia, &

Natalia

Natalia ab ipso Deo simul promanasse. Insident in Natura leges, legibus Natura innititur; nec ab ea leges, vel ab ijs Natura potest separari Dummodo hunc nexum arctissimum nolit, qui conflauit supremus Artifex suo tandem imperio rescari. Quod, quandocumq; fiet; nemo est tàm iniustus rerum æstimator, qui non videat, nemo tàm expers consilij, qui non intelligat, facilè tùm etiam illud fore, vt hæc rerum Natura vniuersa ad vltimum, & miserandum excidium ruat. Mira igitur legum origo, mira præstantia, quam Cœlum ipsum agnoscit, elementa custodiunt, orbis terrarum colit, vniuersa denique rerum Natura celebrat, admiratur, veneratur: Prçstantissima legum initia, quç ad sui contemplationem legimus antiquissimorum Philosophiæ Antistitum animos rapuisse, exacuisse intelligentiam, & ad summi Dei notionem feliciter excitasse. Testes sunt Platones, Thaletes, Senecæ: testes Socratici, Cynici, Peripatetici, cçteriq; ex alijs toto terrarum orbe iampridē prose minatis familijs, qui in rebus hisce productis legum consonantiam, & originem perscrutati, in eam facilè omnes iuerē sententiam, Esse nempè aliquod maximum, præpotens, omniumq; sapientissimum Numen, qui Deus appelletur, quiq; huic rerum vniuersitati leges dederit; eaq; polleat potestate, vt data Iura seruari, ac custodiri perpetuò faciat. Quid? ipsemet M. Cicero, qui tàm multa sapienter literis mandauit, Cœli pulchritudinem, eiusq; tàm be-

nè

nè distinctas, tàm benè nexas leges contemplatus, admiratusq;, Ecquid, inquit, potest esse tàm apertum, tamq; perspicuū, cùm Cœlum suspicimus, Cœlestiaq; contēplati sumus, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Ea planè est legum origo, quę vt à Deo proficiscitur, ita quoque ad Dei notionē sui contēplatores facilè pertrahit atq; perducit. Sed admiranda sint hæc legū natalia. Nùm à natalium splēdore leges, quasi degeneres filij defecerunt, ac parentum nobilitatem, & gloriam obscurârunt? Dicam quiddam opinione maius, Auditores, quodq; omnium penè fidem, & cogitationem excedit. Aio enim leges æquè nobiles, æquè illustres, æquè diuinas esse, atque ipsum Deum. Nonnè hoc ita magnum est, vt nihil ad legum splendorem illustrius, nihil ad gloriam maius, nihil ad laudem gloriosius dici, aut fingi queat? Vereor Auditores, ne hęc potius è stoycorum porticu, quàm è veritatis officina deprompta videantur, & (quod caput est) maximè vereor, ne, quæ suapte natura vera, ac certa sunt, ea ob dicentis infantiam minus vobis probentur, ac temerè à me pronunciata fuisse iudicentur. Sed me vestra recreat prudentia, ac sapientia, Viri doctissimi, atque omnem hanc ex animo dubitationem detergit, cùm non ex verborum copia, aut sententiarum vbertate, sed ex ipsis rerum momentis nostram orationem perpendatis. Libeat igitur, pro humanis opibus, quæ vobis mirificè affluunt, Augustissimam il-

lam

lam, ac diuinam Mentem pauliſper animo contemplari. Eſt Deus præſtantiſſima quædam Natura, in qua omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, perfectum, ac pleniſſimis numeris abſolutum reperitur. Quæ omnia, aliaq; prorſus infinita ita in Deo ſunt, vt ſi fingas vnum ex his à Deo diſtrahi, non ſit amplius Deus: Nam quidquid per ſe exiſtens, quod nulla alterius vi, atq; ope fulciatur, conſideres, id ipſum verè, ac propriè Deus eſt. Nihil enim in eo inſidet, præterquàm æternum, immortale, diuinum; atque, vt vno verbo omnia comprehendam, quidquid in Deo ineſt, eſt ipſe Deus. Quare optimè Deus clariſſima quædam lux vocatur, quæ infinita quadam vi polleat, ac ſuo ſinu coërceat totam hanc rerum vniuerſitatem. Optimè Platoni, Eſt Deus veluti ſol quidam παμφαῆς, hoc eſt, vt Greci loquebantur, vndiq; collucens, & omnia illuſtrans; quòd nihil eius aſpectum fugiat, nihil cognitionem lateat, nihil ſapientiam prætereat. Eſt ſiquidem Deus immenſa quædam pietas, imperſcrutabilis ſapientia, incogitabilis virtus, inuiolabilis Maieſtas, cuius nomen Auguſtiſſimum, cuius bonitas infinita, cuius æterna perduratio, cuius poteſtas, nullis vnquam definita terminis, aut limitibus circũſepta. Hæc, inquã, veriſſimè dicta eſſe nemo inficiabitur; ſed illud ẽt addas, quod à vero nequaquam abhorret, cum Deo legem eſſe, Deum cum lege, ſeu mauis Deum quodammodo legem eſſe, legem eſſe Deum. Ecquid enim aut re-

ctius

ctius, aut melius de Deo efferre possumus, quàm ęternam rerum omnium legem ac prouidentiam illi, vt supremo earum Conditori, à quo pendeant omnia, conuenire? Quis, nisi omnis doctrinæ expers & ignarus, vel dementis, aut nullius omninò iudicij pernegabit, salua pręsertim religione, purissimam illam Mentem, atque ab omni concretione, ac permixtione quàm longissimè seiunctam (purus siquidem actus Deus est) aliquid in se continere, vel claudere, quod Deus ipse non sit, & cum Natura Diuina insitum, atque connexum? Quis, nisi præfracto ingenio inficiabitur, à diuino nutu, ac voluntate fluere vniuersa, & singula, quæ vel animum cogitatione suspendunt, vel sub aspectum cadunt oculorum: Vt magis intimum rebus ipsis Deum esse, quàm res sibimetipsis constare, pro certo liceat affirmare. Quod si ita se habet Auditores, demùm profectò fateamur necessè est, Deum æternam quandam legem esse æquissimam, candidissimam, omnia disponentem, omnia moderantem, atq; ministrantem; à qua fluat rerum vita, conseruatio, propagatio. Vt, si quis adeò claram veritatem diffiteri velit, in omnium reliquorum derisionem incurrat. Est Deus ipse voluntas illa prępotens, ac diuina, quæ nulla ex materie totum, quod vbique cernitur, efformauit. Fateantur hæc omnes oportet, si nolint à Catholicæ fidei doctrina, atq; à recta religione discedere. Nonné rursus Dei voluntas lex quædam est Naturę imperans, quæ immota manens

nens, vt quidam dixit, dat cuncta moueri? Quid huic tàm certę ſententiæ obijciatur? quid opponatur? cum quidquid velit Deus lex propriè ſit; diuina, inquam, lex, nullis, vel æui fugientis viciſſitudinibus, vel permutationum varietatibus, vel infirmitatum iniurijs obnoxia; lex, quæ à latore non differat, virtutum fons, æquitatis parens, probitatis origo, magiſtra vitæ, motum diſciplina. Vt mihi quidem veriſſimè pronuntiatum videatur, Deum eſſe legem, legem eſſe Deum, & quod Ariſtoteli eſt, Virum legibus obtemperantem, ipſi ſimul Deo obtemperare. O igitur præſtantiſſimas, ò præclariſſimas leges, ipſi Deo cõęquas, in ipſo Deo inſidentes, vnà cum ipſo Deo iam inde ab æternitate regnantes. Magnum certè, ac præclarum videri potuit, Auditores, leges originem tum à Deo traxiſſe, quando cunctis rebus, quę olim cœperunt eſſe, inditæ, atque infusę fuerunt. Sed nimirum indagine opus erat altiore. Ea legis origo eſt, vt abſq; origine ſit; ita prouenit à Deo, vt vnà cum Deo principium abſq; principio eſſe intelligatur. Atlantis columnas figere hîc eſt opus, Auditores; vlterius quippè pertranſire non licet.

Hæc igitur ſatis dicta ſint de celſiſſima origine, ſeu potius æternitate ac diuinitate legũ: quę ſi malè culta, malè expolita acceperitis, nolite quæſo proinde, aut ingenij tarditatem, aut verborum inopiam irridêre. Nam, neq; ab oratore hac omnium nobiliſſima diſciplina haud ſatis exculto plura, nec in huius pul-

cherrimæ artis quaſi Tyrocinio verſante maiora à vobis erant expectanda. His igitur difficultatum quaſi Syrtibus ſuperatis, ad alterum Orationis noſtræ caput, hoc eſt,ad vberrimos legum ciuilium fructus veniamus. Ac nobis quidem lætandum erit,quòd orationem noſtram plus nimio Cœlo vagantem, ac per ignotas Diuinitatis (vt ita dicam) ſemitas aberrãtem, ad terras deducere, atque in foro, in media ciuitate,in ipſo hominum cœtu licebit collocare; vt hinc liquidò cunctis innoteſcat, quanta ſit vtilitas legum, quanta neceſſitas.

Cum enim ſupremus ille Mundi ædificator,& Cuſtos Deus quibuſcumq; rebus ſua potentia perfectis, leges ſingillatim præſcribere deſtinaſſet, hominẽ cœterorum nobiliſſimum, nobiliſſimis etiam legibus honeſtauit. Quænam autem illæ fuerint, percontamini, Auditores? Hæc ſanè omnium præſtantiſſimi; vt quemadmodum homines Deo perſimiles procreati fuerant, ita quoque Deum imitari contenderent. Summæ Dei beneficentiæ eſt,ex infinitis illis opibus, quæ in ipſo cumulatiſſimè clauduntur, ea demum cunctis rebus impertire, quæ ſingularum natura capere poſſit. Inde intelligentiam hominibus, cæteris animantibus vitam productionem plantis, Soli lumen, alijsq; alia, mirifica diſtribuit prouidentia, ac benignitate. Ita planè hominem decet, quidquid alienum eſt à virtute ac probitate prorſus deuitare, enixèq; illud agere, quod, & in ſemetipſum,

& in

& in alios, & in Deum pietas requirit. Hæc ſcilicet ſuerunt humano generi indita legum, ac iuſtitiæ ſemina, quæ ſi colere homines non deſtitiſſent, mirum, quanta bonorum ſegete abundaſſent. Verùm, poſtquàm allapſa hominum mentibus contagio rationem infirmare, ac naturam deprauare potuit, lex penè è ſuo domicilio deturbata eſt. Hinc perturbationum turbines, hinc cogitationum fluctus, hinc ſentientis facultatis tempeſtates penè totam hominis mentem obruerunt. Erant, erant in tanta naturæ noſtræ imbecillitate, atque ad omnia ſcelera procliuitate aliæ accerſendæ leges, quibus quaſi adminiculis collapſa, ac penè afflicta natura fulciretur. Scriptæ igitur in tabulis, aut in ære inſculptæ leges, inq; hominum cœtu promulgatæ ſunt, improbis, ac ſontibus mulctas, pœnasq; irrogantes; præmia, & honores probis, virtutumq; cultoribus decernentes. Vt nimirum, quæ virtuti, & honeſtati ſponte quis denegaret, is, aut pœnarum metu perculſus, aut præmiorum illecebris delinitus, perſoluere quoquo pacto cogeretur. Magnum igitur planè fuit, ac propè diuinum ægrotanti mundo, & ad interitum corruenti tale, ac tam ſalutare pharmacum prębuiſſe, legum ſcilicet ciuiliũ conſtitutiones, quibus cunctarum gentium ſaluti quàm tutiſſimè conſultum eſt. Ac ſanè quis non videt, vt in feraci ſolo ſegetem feliçiſſimam, ita leges noſtras cunctis gentibus, cunctis populis, cunctiſq; terrarum oris, quaſi annonam im-

portare copiosissimam ? Annonam (ita me Deus adiuuet) copiosissimam, cunctis necessariam, interdictam nemini, omnibus salutarem. Neq; enim tantum à pabulo corpus, quantum à legibus emolumenti, ac fructus mortales legunt. Quod, si tum planius, tum plenius intelligere, itidemq;, quanta sit legum feracitas, quanta fœcunditas (id quod nobis, nec infructuosum futurum arbitror, nec insuaue) spectare velimus, duas nobis Ciuitates aspiciendas proponamus; alteram bonarum legum expertem, alteram optimis legibus constitutam; illius turpitudinem, ac omnium ciuium miserrimam conditionem; huius tranquillitatem, fœlicitatem, & lętissimam faciem contemplemur: tùm liquidò apparebit, Solem citius à mundo, ac minore damno, quàm leges à Republica tolli posse. Nimirum, vt Pictores solent, qui vt lectissimæ Virginis pulcherrimam faciem, ac lætissimos oculos in tabula enitêre faciant, rugosæ, ac strigosæ alicuius vetulæ vultum appinguntquò ex huius fœditate, illius emineat pulchitudo. Ita nos, vt æquissimis firmatę legibus Ciuitatis splendor eluceat, perlustremus quęso primùm animo orbatam legibus, spoliatam optimis institutis, ac moribus Ciuitatem. Quæ ordinum perturbatio? qui populi tumultus, ac seditiones, incœdes, ac parricidia erumpentes? quæ solitudo, ac squallor ciuitatis? nunc stratas cadaueribus vias, nunc vndantia sanguine ciuium fora, nunc tecta admotis

ignibus

ignibus conflagrantia, nisi cruore flammæ extinguantur, contuebimur. Et ad huius miserrimæ Vrbis aspectum vix lachrymas continere valebimus, ac tacitè tristissimam eius sortem deplorantes, manifestè intelligemus, quàm læthale, quàm perniciosum sit à foro, à ciuitate, à Republica leges exulare. Ne longissimè abeamus, Romam Orbis dominam, Vrbium Reginam, Cœli imaginem nobis proponamus, Caligulæ scelestissimi hominis imperio subiacentem. Quæ tùm illius vrbis facies, quæ calamitas? Scilicet teterrima illa bellua sibi in animum induxerat Ius ciuile delere, illamq; Reginam mortalium, atque immortalium, qualem Pindarus vocat, legem, diutius vel in imperio consortem, vel in ciuitate rerum Moderatricem pati nolle. Quin imò, vt liberius effrenatis suis cupiditatibus indulgeret, eam decreuerat quàm longissimè ab Vrbe, ac Romani Imperij finibus amandare. Nulla igitur tùm in Romano foro legum obseruantia, nulla religio in templis, nulla in Senatu authoritas, nulla in Imperatore maiestas agnoscebatur. Impietas armata per totam vrbem debacchabatur, furor & audacia improborum passim impunè volitabat, & omnibus omnia minitabatur. Sanguine Ciuium plateæ quotidie respergebantur; Senatoriȩ domus adulterijs temerabantur; Imperatoria Aula stupris, incestis, alijsq; impurissimis flagitijs conspurcata, honestos homines vel à sui conspectu deterrebat. Nullus nisi improbus,

probus, facinorosus, & obscœniorum vitiorum sordibus inquinatus ad honores, ad præmia prouehebatur. Lenones, sicarij, vxorum mercatores, gratiosi duntaxat penes Imperatorem habebantur. Boni Ciues, venerabiles Senatores, neque intrà domesticos parietes tuti erant, neq; inter Aulicorum greges absq; periculo se se poterant immiscère: probra, conuicia, contumelias, iniurias à quouis nefariò perpeti cogebantur. Eò enim vsque exlegis Caligulæ impietas æstuabat, vt nihilo magis, quàm bonorum oppressione, proculcatione, internecione recrearetur. Audite quæso, quantùm iste Iura sanguinis & agnationis adamaret? Proauiæ suæ, Matronę honestissimæ natalia obscura, sordidaq;; Matris incestuosa dictitabat. Auiam Antoniam, fœminam integerrimam, veneno interemptam, inhonoratam flammis supposuit, iamq; penè concrematam ab Aulæ fenestris cum iocis ac risu spectauit. Quid plura? Nonnè fratrem Tiberium Tribunitio furori excarnificandum prębuit, quòd flores, aliaq; odoramenta veneno pellendo aptissima odoraretur? Heu miserandam, heu deplorandam agnationem, quæ non Imperatorem, sed tuorum capitum sęuissimum lanionem obtinuisti. Audite rursus quanti Iura Magistratuum iste legum mirificus propagator ęstimaret. Togatos Senatores celerem quadrigæ cursum, qua vehebatur, longo itinere persequi volebat, eosdemq; rursus aliquando iussit, tanquam mediastinos

nos decoctores, cincticulo prętextos fercula sibi suppo̧nere cœnaturo, sordidisq; id genus alijs ministerijs defungi. Sed leuia hæc fortasse, & ludicra videri potuissent ciuibus, nisi longè acerbiora, & immaniora tollerassent. Quot ille temulentus, ebrius, incestuosus, eosq; Senatorios Ciues ignescente ferro stygmatibus inuri voluit? quot in caueas, ferarum in morem intrusit, vbi acerbissimè distorquere pectus, & reptare manibus, veluti quadrupedes cogebantur? Quot etiam ad metallum damnauit? quot bestijs dilaniandos proiecit? quot per medium corpus discindi, ac ęquas in partes iussit dissecari? Audistis immanes pœnas; qualianum delicta putatis pręcessisse? An sicarij Ciues illi miserrimi extiterant? an virginum raptores? an sacrorum violatores? an parricidę? an perduelles? In Caligulę Genium nunquam adiurârant. En graue maleficium, en horrendum scelus, en flagitium non ferendum. O' miseros quidem, iterumq; ac tertiò miseros ciues! Vos nẽpè proprio sanguine scriptum posteritati reliquistis, quàm infaustum; quàm exitiale sit Reipublicæ, exlegis hominis imperio subijci, & nõ ciuibus, sed infestissimis humano generi belluis patêre vrbem, quouis Aphricę nemore tetriorem. Omitto cætera ęquè atrocia, æquè lethalia, quæ tum Roma perpessa est. Satis sit dicere Virgilianũ illud optimè de ea tùm vsurpari potuisse

. . . . crudelis vbiq;
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Quæro

Quæro à vobis Auditores; Vndènam tanta lues, tanta pestis Romanum tùm solum inuasit? Vnde profecta, per totum ferè terrarum orbem debacchata, omnia sceleribus grauissimis, vitijs fœdissimis repleuit, inquinauit? Ab Imperatore nefario, scelestissimo, crudelissimo? rectè quidem. At rursus, vnde'nam tanta ferocitas, tanta sæuities, tanta dementia in homine alioquî excelsissimo, Germanico patre nato, pijssimo, ęquissimo Imperatore, optimisq; ab eodem institutionibus edocto, optimis documentis instituto? Quo nam pacto iste in adeo tetram belluam, ac deforme portentum euasit? Vnica, vnica mali tanti causa est, Auditores. Noluit iste in Imperio consortes, noluit amicas leges. Inde flagitia, inde rapinæ, inde ciuium interneciones, inde profanatæ aræ, violata templa, vrbs denique tota deformata, deturpata, omni bono expoliata. Nunquid enim leges non excitatos libidinum ardores restinguere, aut consopitos honestatis, virtutúq; ignes excitare, aut quasi consepultos suscitare potuissent? Nunquid, non ferocissimum sicariorum impetum, ipsumq; Imperatoris animum cruore ciuium gaudentem, arctissimis æquitatis vinculis illigare, & in officio continere? Plectantur sicarij, capitali supplicio sontes improbi perimantur; mulctentur adulteri, tollantur è medio stupratores, incestuosi, sacrilegi; vt bonæ leges insonant, atque exclamant. Iubeat parère ciues, pareat suis legibus Imperator. Nunquam profectò

veren-

verendum erit, ne ista tàm turpia, tàm nefanda flagitia exaudiantur: nunquam, aut plateæ cadaueribus oppletæ, aut innocentum cruore stillantes fasces, securesq;, honestis ciuibus terrorem incutient. At verò, cum leges neq; coleret vesanus ille, ac Diris omnibus deuouendus Imperator; neque vellet, nisi nefariam pro legibus suam haberi volũtatem, ecquid tandem, nisi peracerbum è sœuissimo illo pectore, nisi omnibus ciuibus ferale, ac luctuosum erumperet? Date mihi hanc veniam, Auditores, vt ex infinita penè scelerum, ac flagitiorum multitudine, à truculentissima illa bellua perpetrata, vnum seligam, quod ad rem nostram confirmandam, aptissimum duco. Vincere se ipsum semel Caligula conatus est: Exuit parumper insitam animo barbariem, ac feritatem: ciues aliquot ad conuiuium vocat, inusitatam, ac prorsus insolentem clementiam præseferens. Mirantur ciues, ac taciti animo obstupescunt, sibiq; potius à veneno in epulis pauent. Ergò benignus Imperator sub finem conuiuij in turpem, atq; immodicum risum prorumpit. Interrogatus à conuiuis, quid rideret; Quid, inquit, nisi, quòd vnico meo nutu statim iugulari vos posse intelligo? Egregia certè conuiuandi ratio, lęta inter epulas, vinumq; colloquia, de vi, de cœde, de sanguine; cùm mors inter dapes prænuntiata, inter dapes etiam formidatur. Nequiuit nimirum mens illa crudelis, & impia in offitio se longius continere, quę nullis humanita-

D tis,

tis, ac Iustitiæ legibus tanquam frænis coërcebatur. Sic igitur habetote, Viri ornatissimi, tristem, & ærumnosam fore perpetuò illius Reipublicę faciem, quæ extremo suo malo exlegem Imperatorem nanciscatur. Neque rursus quidpiam, aut humanum, aut honestum, aut laudabile ab illo Imperatore expectandum esse, qui leges non custodiat, iustitiam non colat. Quin imò ista funestissima Reipublicæ pestis, teterrimumq; portentum, aut venenato impietatis spiritu ciues afflatos præfocabit, aut diris licentiæ, ac potestatis vnguibus dilacerabit, aut vastissimis sæuitiæ, atque auaritię faucibus deuorabit. Sed nolo vos, Auditores, in hac molesta cogitatione diutius hærere, nolo amplius in hoc funesto florentissimæ quondam Vrbis spectaculo immorari, nolo acerbissima Romanæ Reipublicæ, vel totius penè terrarum orbis vulnera refricare; quamquam ex huius ærumnis, & legum vtilitas, & legum beneficio florentis, ac beatæ Reipublicæ species internoscitur. Neque hîc fore diffido, quin placidissima vestræ humanitatis aura, quæ me è littore soluentem hactenus prosequuta est, ad finem vsque dicenti adspiret; præsertim, cum haud longè absimus è portu, ac si paululùm legum fructus inspexerimus, nostra haud longius vos detinebit Oratio.

Neque ab re erit, opinor, aut vobis iniucundo, Auditores, eiusdem Vrbis recordatio, quæ imperium terris, famam, vt inquit ille, Cœlo, Cœliq; syderibus

ter-

terminauit; vt quam modò legibus orbatam, tàm luctuosam, tàm ęrumnosam, tàm afflictam, prostratamq; vidistis, hanc legibus obtemperantem, beatam, bonis omnibus refertam, ac florentem recognoscatis. Ac sanè ea fuit Romanæ Vrbis felicitas, Augusto Cæsare æquissimo, ac sapientissimo Principe imperante, vt quæ fructuosissimę, ac saluberrimę à perennibus legum Ciuilium fontibus dimanant aquæ, ad eam irrigandam, seu potius perbeandam omnes certatim confluxisse viderentur. Illud siquidem Augusto propositum fuit, Romanam Ciuitatem, cuius Imperij clauum susceperat, augere opibus, maximèq; imperij limites ad extremos vsque terrarum fines longè, latèq; protendere. Quod nequaquam facilius, aut felicius præstiturum se vnquam sperauit, quàm legum ciuilium ope, optimarumq; constitutionum beneficio.

Duobus veluti cardinibus cuiuslibet Reipublicæ status nititur, ciuili prudentia, militari virtute. Atqui in Romana Republica, cũ ad eã accessit Octauianus, non modò cũ sæuissimis hostibus, ac nomini Romano infestissimis, sed cũ Romanis ipsis bella exarserant grauissima. Videre erat ob seditiones, & exorta bella ciuilia perturbatam Ciuitatem: nihil in vrbe sanctum, nihil tutum, permixta, confusa omnia; vt viuam quandam antiquissimi illius Chàos imaginem posses agnoscere. Quid tùm à sapientissimo, ac prudentissimo Imperatore præstitum, vt Ciuitatem

vel collapſam, vel ruentem alter patriæ parens, ac Romulus, ſi non inſtitueret, reſtitueret quidem certè, atque inſtauraret? Patriam iuſtiſſimis legibus vel promulgatis, vel reuocatis, domi, ac militiæ ad priſtinos mores, atque inſtituta redigere: Magiſtratuum authoritatem amplificare: honeſtiſſimos Ciues, & optimis moribus præditos in Senatorium ordinem adſcire: Ius dicentes tum ęqui amantes, tum ſapientiſſimos deligere, qui Reipublicę clauum tenêrent. Ipſe, bello impensè, accuratèq; inuigilare: fortes atque intrepidos milites maximis, & præmijs, & honoribus proſequi: Senatorio edicto cauere, vt ſtrenui belli Duces, maiori, quo fieri poſſet, ornatu, ac pompa triumpharent: pluribus triumphalia ornamenta diſtribuere: Iura demùm militaria honeſtiſſimis priuilegijs augere, ac cumulare. Congruum ſcilicet æquitati ducens, vt qui pro Reipub. incolumitate, ac propagatione tot ſeſe vitæ diſcriminibus obieciſſent, neque mortis, aut duriſſimorum laborum faciem exhorruiſſent, ſingulari quadam prærogatiua honeſtarentur; cœteri verò ad militiam capeſſendam, præmiorum illecebris, glorięq; ſtimulis, ac facibus accenderentur. Vt mihi quidem de Romanæ Reipublicæ moribus dici potuiſſe videatur, quod de Vrbis ędificijs dictum ab eodem Augusto accepimus; Vrbem Romam ſe lateritiam accepiſſe, reliquiſſe marmoream; Itèm Romanam Rempublicam ſe ferream reperiſſe, auream reliquiſſe.

Dies me

Dies me deficeret Auditores, ſi reliquas innumerabiles, cùm Vrbanæ quieti, ac tranquillitati, tùm bello gerendo proſpicientes leges vellem in præſentia recenſere, quas maximus ille, terq; Auguſtus Imperator, ſiue ipſe tulit, ſiue latas antea confirmauit. Jllud vnum vobis ipſi perſuadeatis velim, non magis tùm ipſum Cęſarem, quàm Iuſtitiam è Cœlo delapſam, nec tàm in Vrbe, quàm in caſtris, & in ipſa militari acie bonas leges imperaſſe. En igitur benè inſtructa legibus Ciuitas, en benè adminiſtrata ſub ęquiſſimo imperio Reſpublica. Cæterum (proh bone Deus!) quàm vberes illa fructus, quàm grandia emolumenta bonis è legibus decerpſit, cumulauit, coaceruauit! An, quòd eam Octauianus vnius imperio ſubiecit, aurea libertate, ac tranquilla pace priuauit? Imò eius ciues ad maximarum dignitatum faſtigia euexit. An totius Reipublicæ clauum, ac negociorum molem ſolùm ipſe tractauit? Atqui nouos etiã Magiſtratus publica negocia tractantes, Iura populis reddentes, authoritate maximos, maieſtate verendos inſtituit. An in imperio conſortem, in adminiſtratione ſocium neminem voluit? At ipſemet Auguſtus voluit ſibi collegas dari Ciues in Conſulatu. An exquiſitos honorum titulos ambiuit? Quin potius, quòd à Senatu, ac populo Dominus patriæ ſalutaretur, pluries cum Senatu expoſtulauit. Nunquid autem legibus tum vigentibus improbi, & nefarij prouehebantur? nunquid fortes, & optimi

Ciues

tum odores afflasse, verq; omninò felicissimum, & quietis, & concordiæ in ea risisse tum diceres. Sed parùm fortasse emolumenti, gloriæ non multum, leges Romanæ Reipublicæ peperisse videri poterant, si tantùm imperij fines tutatæ fuissent, non autem diuturno illo fœlicitatis tempore amplificassent. Ecquis enim tàm opulentus, tàm felix, qui maiores non appetat diuitias, maiorem non ambiat felicitatem? Agè verò, neque etiam ista maxima defuit Romæ felicitas, quæ non angustis conclusa cancellis, & finibus, nec velut in ergastulo suppressa, sed *super, & Garamantas, & Indos, Protulit Imperium.* Testes Cantabri debellati primùm, atq; perdomiti: testes Aquitanici sinus incolæ: testes Pannonij, Vandali, Dalmatæ, aliæq; propemodum innumerabiles, ac bellicosissimæ nationes, quæ Romanam eò vsque potentiam extentam agnouère, nec non illi etiam Regna, & Imperia humiles, ac venerabundæ concesʃère. Magna hæc certè gloria, magna felicitas: sed totam sibi vendicat lex illa, & militaris constitutio, quæ tum Romana in acie imperabat. Vnde nimirum belli Duces, ac strenui milites ad exantlandos grauissimos labores, ad mille vitæ discrimina subeunda, spe grandium allecti præmiorum, ac dignitatum, breuissimè imperij terminos propagarùnt. At verò, (quod longè gloriosissimum fuit) Scythas, Indos, aliosq permultos è remotissimis oris populos Romam confluxisse; fœde-

ra pacis,& amicitię comprecantes, Historiarum monumenta testantur. Quot Romæ tùm videre fuit exterorum Principum Legatos, & Oratores; qui, eiusdem Ciuitatis æquissimis legibus freti, inter maximas de regnis contentiones, vnius Romani Cęsaris Iustitiam implorarûnt, eiusq; arbitrio vno omnium consensu, atque suffragio totum negocium compromiserunt? Ex quo demùm Rex ille promulgabatur, & ab omnibus, ne vlla quidem tergiuersatione, excipiebatur, quem Cæsar æquissimo iudicio delegisset. O maximam igitur legum, ac Iustitiæ præstantiam, quæ permulcet, allicit, ac rapit ad se cunctorum animos, & quòusq; libuerit, ipsa dirigit, atq; perducit. O' mirandam legum fœcunditatem, quæ Imperatores gloriosissimos, Vrbes florentissimas, Ciues felicissimos reddit. Potuit, potuit Augustus ille Cæsar, Diuûm genus, vt ille ait, fundato legibus imperio, aurea illa, Saturno olim iustissimo Principe regnante, rursus sæcula condere; Cuius in aduentu, & Caspia Regna, & Mœotica tellus.

Et semptem gemini trepidârunt ostia Nili.

Floruit regnantibus cũ Imperatore legibus Romana Respublica: floruit opibus, potentia, ciuibus: floruit otio, tranquillitate, securitate. Fortunati quippe Ciues, ac perbeati, quamdiu floruere leges, extiterunt, siue maximis diuitijs, & honoribus ditarentur, siue per vrbem triumphantes magno plausu, & acclamatione exciperentur, siue Iura populis, ac nationibus

remo-

remotissimis administrarent, siue demùm Augusti Cęsaris quasi Collegæ, Romanæ ditionis, atq; imperij fræna moderarentur.

Hęc satis de fructibus legum, quæ Reipublicę obtingunt, quando temporis angustiæ, quibus mea clauditur oratio, propè iam silentium indicunt; pręterquamquòd omninò arduum esset vastissimum illũ Oceanum in exiguã Orationis quasi conchulam velle transfundere. At verò fortassis tot è legibus vtilitates, tanquam è perennibus fontibus vberrimè scatentes aquas, quę olim Romanam Vrbem irrigarũnt, aut amplissima Iuris, Iustitiæq; peritis tum decreta præmia, vel nostris Ciuitatibus, vel legum studiosis hac nostra ætate interclusa esse existimetis, Auditores? Ecquando felicius Leges toto terrarum orbe floruerunt? ecquando maiori in precio habiti sunt legum peritiores? Testes vos aduoco, quotquot ab exteris regionibus in hanc Vrbem ferè quotidiè appellitis: testes, quotquot è disiunctissimis oris per tam longa, ac periculosa terrarum, marisq; itinera, siue hoc, siue proximè elapsis annis ad hoc nobilissimum Gymnasium confluxistis. Prætereo Germanos, Sarmatas, Dacos, Rhetos, Gallos, Iberos. Dicite, obsecro, vos, vos Lusitaniæ germina clarissima, Senatusq; nostri florentissima sydera, quàm studiosè vestris in oris felicissimis colantur leges, quanto in precio legum eruditi professores habeantur. Quid verò de nostra Italia dicam? Quàm amplos,

quàm vberes hîc legum fructus contuemur? Iuuet oculos ad celsissima dignitatum fastigia sustollere, quæ ferè nostris, quasi Iure quodam hæreditario deuoluuntur. Quot in splendidissimo ordine Purpuratorum Patrum Iureconsulti numerantur? Hi nimirum propè felicissimum Legum Oceanum murice, ostroq; fœta conchylia, ac purpuram repererunt. Purpuram tantum? parum dixi. Ipsam omnium celsissimam, & penè diuinam Summi Pontificatus dignitatem, si vnum, aut alterum demas, non nisi legum peritis recenti memoria, quasi Cœlitus fuisse delatam, quis ignorat? Ecquid maius vnquam dici, aut excogitari queat? ecquid gloriosius in terris possint ambire mortales? Atqui obijciet quispiam; hęc vt magnifica, & præclara, ita perrara esse, atque omninò difficilia comparatu. Enimuerò non vno, aut altero ex fonte legum vtilitates ad nos permanare censendum est. Neque ingenuos decet, ac generosos animos, in tanta bonorum, ac fructuum vbertate, nil nisi leue, aut minimum sibi ad comparandum proponere. Si enim vnamquamq; Vrbem, in qua leges floreant, animo collustremus, plura quidem, & pręstantiora reperiemus, quæ nulli prorsus, præterquàm legum consultis, ac peritis demandentur, aut etiam demandari posse videantur. Iura sunt populis reddenda? dirimendæ lites? iudicia depromenda? Iureconsultum accersere opus est. Arcana Principis

maxi-

maxima diſcutienda, digerenda, euentilanda? Iureconſultum acciri neceſſe eſt. Oratores de re grauiſſima, & ad ſummam imperij ſpectante ad exteros Principes ſunt allegandi? E ſapientium Iuriſprofeſſorum numero ad tantum munus obeundum quis deligatur, oportet. Parua'ne vobis hæc legum munera, exigua'ne dona videri poſſunt? Eum videlicet fieri Iureconſultũ (quod apud Ennium de ſe iactat ille Pythius Apollo) vnde ſibi tũ populi, tũ Reges, omneſq; ſui Ciues conſilium, operam, iudicium expectent? Ecquid item maius, aut honeſtius eſſe poteſt Iureconſulto, quàm fieri ſuam domum totius oraculũ Ciuitatis? Poſſem hîc longa ſerie Sextos, Manilios, Mutios commemorare, cæteroſq; alios innumerabiles olim Iuris prudentia conſpicuos, ad quorùm domos tota ferè Romana Ciuitas, aut conſilium, aut patrocinium imploratura frequentiſſimè confluebat.

Sed nimirum non eſt opus externis, vbi domeſticis abundamus. Nec ab antiquis longè petenda ſunt annalibus, vbi recentia vigent exempla. Quot enim in Principe, & Auguſtiſſima Vrbe noſtra Florentina huiuſmodi Oracula conſpiciuntur? Norùnt omnes fama celeberrimos, & Caballos, & Spinas, & Antellenſes, alioſq; complures Iuris facultate præſtantiſſimos. Teſtamini, Florentini Ciues, ecquid aliud magis admiramur, quàm eorum Ianuas, ac veſtibula maxima quotidie frequentia ciuium, ac ſummorum hominum ſplendore celebrata? his certè lon-

gior Oratio deberetur, cum in ijsdem duntaxat, quantùm afferat Iuris ciuilis peritia, & honoris, & gratiæ, & dignitatis facilè possemus agnoscere. Verùm longe auocat à consilio huic nostræ orationi terminus indictus; neq; diutius permittit eam per frugiferos legum campos excurrere. Et sanè quid multis est opus? Iam iam vosmetipsi Auditores in hoc Florentissimo Gymnasio amplissima legum nostrarum munera, vberrimaq; dona ferè quotidie spectare poteritis; Dum Clarissimos hosce Patres, siue pro rostris illuminatè docentes, siue in exedra quàm acutissimè disceptantes exaudietis. Ecquid enim pulchrius, quid illustrius videri cuiquam potest, quàm Iureconsultum excelsa sede innixum, pulcherrima circumquaq; audientium corona stipatum, Iura interpretantem aspicere, in quem vnum ora, oculiq; omnium defiguntur, eiusdemq; verba, tanquam Sybillina responsa expectantur, excipiuntur, & ad æternam memoriam amandantur? Cæterùm innumerabiles, ac propè infinitas legum vtilitates omittendas mihi esse video; quando, si eas persequi singulas velim, diei citius reperire exitũ, quàm dicẽdi.

Effundit igitur, effundit Sacratissimarum legum potentia, & maiestas in omnes populos, in omnes gentes, quasi è Cœlo imbrem beneficiorum, ac fructuũ copiosum: Effundit præcipuè in suos, hoc est, sui nominis gloriosissimi studiosos, suæq; magnæ virtutis administros, quales vos Amplissimi Patres, vosq;

candi-

candidiſſimi Iuuenes, iure optimo eſtis appellandi. An verò dubium erit cuiquam, ne vlla inſequentium annorum varietate, & futura rerum viciſſitudine legum ceſſet vnquam vtilitas, & feracitas quodammodo ſterileſcat? Imò florebunt perpetuo leges, regnabunt, imperabunt; cum ab his tota terrarum orbis ſalus pendeat, & conſeruatio. Florebunt quoque cum legibus, perpetuòq; regnabunt earum Interpretes, & adminiſtri, quibus duntaxat mirifica illa legum arcana rimari, ac perſcrutari diuinitus conceſſum eſt. Iam iam vos decet gloriari, Clariſſimi Patres, maximaq; lętitia geſtire, atq; exultare omnes, qui ad præclarum Aſtręæ ſacerdotium olim feliciſſimè deſtinati, mox honeſtiſſimè fuiſtis acciti. Pergite, pergite fortunati nimis, ac felices, legum fermè diuinas voces, aut potius oracula interpretari: pergite conſilio, doctrina, ſtudio, ſolertia Rempublicam iuuare: pergite ſtudioſos Iuris alumnos ope, ſapientiâ, diſciplina excolere; ex quo illi tanquam feliciſſima noualia ad vberrimam Reipublicæ ſegetem progignendam facilè præparabuntur; vos veſtræ nunquam deperituræ memoriæ fructus gloriæ comparabitis ſempiternos. Cæterùm quid cunctamini? quid moramini, Ornatiſſimi adoleſcentes? Dum candidi (vt aiunt) vobis affulgent Soles, dum ætatis ver iucundum efflореſcit, dum menti vigor inſidet, & generoſo in pectore vires regnant, affectate viam, properate, feſtinate; vt citò nobiliſſimam Iuriſprudentiæ

dentiæ Aulam ſubeatis, vbi vos manent vbertima præmia, fructus, diuitiæ; at ſi iſta contemnitis, ne videamini veſtrorum laborum quaſi mercaturam facere, vos etiam manent honores, dignitates, ac reliqua ornamenta gloriæ quàm ampliſſima. Dedecet ingenuam, ac magnanimam Iuuentutem ſiue Sphynges laborum, ſiue difficultatum Chimeras perhorreſcere. Sint iſti effœminatæ, cincinnatæ, vnguentis delibutæ iuuentutis inanes metus: vobis ipſa itineris difficultas animos addat, ſtimulos admoueat aſperitas; quando illa, omniaq; prorſus ardua vno ſatis valido obnixu ſuperantur. Induite vos generoſos animos, vobis ipſi tædas, atq; ſtimulos intentate: ac proinde quantùmuis alta ſpectate; egregia quæq; concupiſcite, anhelate animo ſublimiora: Illud ego vobis audeo polliceri, Reſpondebunt omnia votis, omnia demùm proſperrimè conſequentur.

Hæc habui, Auditores, de ſanctiſſimarum lumine legum, ac fœcunditate; vt nimirum in hiſce noſtris docendi auſpicijs non nihil ſacratiſſimo Iuriſprudentiæ Numini, ſiue ad animi cultum præmeferendú, ſiue ad felices euentus comprecandum, quaſi laudis ſacrificium immolarem. Inuitus equidem cætera præſtanda vobis officia prętermiſi. Quorum loco pauca velim hæc in præſentia pro veſtra humanitate accipiatis. Habebitis, Clariſſimi Proceres, vobis me perpetuò addictiſſimum, obſequentiſſimum, & (ni prorſus dedignemini) veſtrarum laudum, ac preſulgentium

gentium vestigiorum mirificum sectatorem. Habebitis, vos Nobilissimi Iuuenes, me vestri semper amantissimum, studiosissimum; si non sollertem satis, non ingeniosum, non eruditum, certè accuratum, sedulum, officiosum, vestrisq; magis, quàm meis commodis consulentem. Tu verò omnia contuens, ac regens Deus, a quo tota mortalium fluit sapientia; tu, nobis vires suppete, nostris aspira laboribus, feliciter cœptis annue; vt qui à te vno omnia pendêre nostra volumus, tibi vni mox accepta dona referamus.

Dixi.

FINIS.



FLORENTIAE,
Apud Cosmum Iunctam M.D.C.XIII.
Superiorum permissu.

